

Franckesche Stiftungen zu Halle

Considerationes Modestae & pacificae Controversiarum De Justificatione, Purgatorio, Invocatione Sanctorum, Christi mediatore, & Euchariastia

Forbes, William

Helmstadii, A. MDCCIV.

VD18 11391456

Considerati hodiernae controversiae de Christo mediatore & eius merito, a
cardinale Bellermino lib. V. de Christo pertractatae.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598)

tur Deus pacis & omnis concordiae piae, propter filium suum unigenitum.

Soli Deo gloria.



Pag. 343.

Consideratio
hodiernae controversiae
de

Christo mediatore & ejus merito,
a cardinale Bellarmino lib. V. de Christo
pertractatae.

CAP. I.

Qua differitur, secundum quam naturam
Christus sit mediator.



Christum, qua Deus erat, etiam ante-
quam incarnaretur, inter Patrem &
angelos, atque etiam homines, in
statu innocentiae constitutos, me-
diatoris officio functum, perperam
arbitrantur multi rigidorum Protestantium, ut
Calvinus in epistolis suis ad Polonos, quarum
alteram omnium Ministrorum Ecclesiae gene-

Kk 4

venfis

venlis nomine contra Stancarum scripsit, epist. 352. pag. 344.) & Ministri rhaeticar. ecclesiar. in disputatione tiranensi contra Pontificios, anno 1595. & 1596. super hac ipsa controversia habita, parte 1. p. 27. & parte 3. p. 159. & aliquot seq. (de hac disputatione, ut obiter te hoc moneam, lector benevole, vide Thuani Histor. lib. 114. p. 597.) aliique non pauci. *Propter Christi incarnationem* quidem, & *merita ejus praevisa*, non solum primo homini, sed etiam angelis omnem gratiam collatam, post Rupertum lib. 13. in Matth. & lib. 3. de Processione Spir. sancti cap. 20. senserunt aliquot antiquiores Scholastici, & quidam recentiores, plerisque tamen aliis theologis romanens. dissentientibus, (vide inter alios Vasquez. in 3. D. Thomae, tom. 1. disp. 10. cap. 4. & L. Lessium in disputat. de Praedestinatione Christi. Lege etiam inter Protestantes, Armin. in Collocatione cum Fr. Junio p. 143. 144.) *sed mediatoris etiam officio functum*, quatenus Deum, non nisi periculotissime dici potest, ut mox dicemus.

Christum etiam sub vet. testamento, quando nondum carnem assumpserat, sed Deus solum erat, in quibusdam jam actu mediatoris munus obisse, falso dicitur. Lubet h. c. apponere verba nuperi scriptoris Andr. Riveti, qui in comment. in cap. 12. Hoseae, hanc quaestionem pertractans p. 37. sic scribit: *Et sane de quibusdam actionibus, immo de omnibus, quae proprie ad redemptionem pertinent, & munus sacerdotale, non contendimus; quia certum est, talem obedientiam non potuisse actu*

actu praestari, * nisi in humana natura actu existente, & per eandem. *Quod si reconciliator dictus fuerit Christus, filius Dei, & pro redemptore & propitiatore habitus a fidelibus, ante adventum suum, quod certe necessarium fuit, id intelligi non potuit, nisi respectu humanitatis suo tempore assumendae, per Deum ante omnem aeternitatem (dicendum fuit, ab omni aeternitate) destinatae ad id, &c. Sed praeter illam rationem, qua filius Dei mediator dici potuit & redemptor, non quod tunc aliquem hujus officii actum exercuerit extra carnem, dicimus etiam, eum ante incarnationem potuisse aliquos mediatoris actus exercere, quibus caro assumpta non fuit actu necessaria; & si quae tunc fecit mediatorio nomine, ea non fuisse sine aliqua relatione ad futuram incarnationem, cujus communicatio illa cum hominibus per oeconomiam in persona sua, fuit velut praevium quid, & indicium certum, &c. Et paulo post: Filius Dei fuit semper mediator omnis doctrinae caelestis, quatenus per ipsum Deus se hominibus patefecit. (Pag. 345.)* Praeterea si aliqua ratione Christus fuit mediator ante assumptam carnem, sequitur, esse etiam mediatorem secundum divinam naturam; ergo etiam, qua Deus, fuit & est mediator. Sic ille. Sed falsae hiuc sententiae libet opponere verba, Johannis Piscatoris, scriptoris alioqui rigidissimi, sed in hac causa multo multis aliis Protestantibus sanioris. In Responsione ad Amicam du-

K k 5

plica-

* Nisi in humana natura,] Idem affirmat idemmet Rivertus in Pl. II. p. 157.

plicationem Vorstii parte 1. p. 19. haec ille contra Vorstium scribit: *Quod ad officia Christi attinet, certum est, nullum officium, quatenus officii rationem habet, ad naturam ejus divinam pertinere. Quia officium est opus, alicui a superiore mandatum atque praescriptum, ad efficiendum. At naturae divinae seu Deo, quatenus est Deus, nihil mandari a quoquam potest: quippe quum non habeat aliquem superiorem. Est igitur a maiestate Dei alienum, ut officium ei aliquod ascribatur. Interim certum & hoc est, Christum officiis quibusdam suis (puta sacerdotali & regio) fungi non potuisse, neque adhuc posse, nisi non tantum homo, sed etiam Deus esset. Ad propheticum vero ejus officium quod attinet, potuisset illo fungi, etiam si nudus homo fuisset, quales fuerunt reliqui prophetae. Itaque tu hic erras, quum dicis, munus propheticum ad Christum totum, h. e. secundum utramque naturam, pertinere. Item, quum dicis, omnia mediatoris officia sic comparata esse, ut ad legitimam ipsorum executionem nullum aliud suppositum, seu principium agens, quam tota Christi persona, quantavanta est, vel aptum, vel sufficiens, vel dignum sit. Hoc enim de sacerdotali tantum & regio Christi officio verum est, de prophetico non item. Et p. 20. Esti Christus, quum loqueretur, ut minister circumcisionis, non nudus homo, sed Deus simul & homo erat; tamen tum loquebatur ut nudus homo, non autem ut Deus, quia loquebatur ut propheta; prophetico autem munere fungi, a Deo, qua De-*

us,

us, alienum est. Et p. 81. Christus tum (in vet. test. scilicet) non est functus officio ullo mediatoris: quippe ad quae peragenda requirebatur, ut non solum Deus, sed etiam homo esset. Esi autem officia illa in novo demum test. peregit; tamen ut Deus etiam electos vet. test. & illuminavit & servavit. Et ad locum 1. Pet. 3. 19. a Vorstio objectum sic respondet ibidem: Pag. 346.) Quod 1. Pet. 3. 19. Christus dicitur praedicasse spiritibus, id non est intelligendum tanquam proprie dictum, de officio scilicet ejus prophetico: ad quod requirebatur, ut praedicaret in assumpta natura humana, & per illam, ore scilicet suo evangelium annuntians; sed intelligendum illud est per metonymiam subjecti, de praedicatione per Noachum facta, quippe quem potentia sua divina ad haec excitavit. Et p. 89. Dicis, regenerationem esse proprie officium mediatoris. At Deus electos regeneravit in vet. test. antequam Christus in mundum per incarnationem venisset, & officio mediatoris fungeretur.

Verum quidem est, Gal. 3. 19. ubi dicit Paulus, legem ordinatam per angelos in manu mediatoris, per mediatorem plerosque tam Grecos quam Latinos, (ut recte annotat Estius in locum) intelligere Christum, ut sensus sit: legem israelitico populo traditam fuisse per manum, i.e. virtutem, potestatem, & directionem mediatoris Christi, populum illum in suum adventum hoc modo praeparantis. Sed loquuntur Patres illi (ut respondet Bellarm. de Christo mediatore lib. 5. cap. 8.) de mediatore materialiter, non forma-

forma-

formaliter: non enim dicunt, Christum fuisse mediatorem, aut mediatoris proprie loquendo munus in lege Hebraeis danda obiisse, sed dicunt, Christum mediatorem, i. e. illam personam, quae postea futura erat mediatrix, atque etiam erat, licet non actu, tamen in decreto & destinatione Dei, esse verum Deum, & auctorem legis. Diserte enim Chrysostomus & Theophylactus hic dicunt, *legem tulisse Christum*, ut ita in arbitrio ejus sit, eam rursus tollere, quippe qui dominus ejus sit. Vnde clarissime sequitur, eum non ut mediatorem, sed ut auctorem primum id fecisse. Nec enim mediator est auctor, nec legem abrogare potest, qui non est auctor, ut recte affirmat Bellarminus.

Veterum tamen nonnulli alii (ut ingenue confitetur Chamierus de Vno mediatore lib. 8. cap. 6. n. 5.) per *mediatorem* hoc loco Moysen intelligunt, non Christum; ut Epiphanius contra Manichaeos, Theodoretus, Gennadius, apud Oecumenium, &c. Inter Romanenses, ut alios mittam, Cornel. a Lapide & Gul. Estius in comment. loci. Verba Estii, quia efficaciora sunt, hic tibi exhibeo: *Alii*, inquit, *mediatorem hoc loco Moysen intelligunt. Qui sane intellectus multis modis fit probabilis:* Pag. 347.) *primum, quia Christus non vet. test. sed novi mediator est; quomodo eum aperte nuncupat apostolus Heb. 8. & 12. Quo praeterea faciunt, quae ibidem, nec non ejusdem epist. cap. 2. & 9. de differentia Christi & Moysis quo-*

ad

ad u
Joan
Lex
Jesu
ipse
inter
dein
hic
vis
tent
facti
sed
ut c
Agg
min
que
prim
& 2
sti o
usq
ille.
tati
Cal
inte
am
cess
te i
cor
Ve
me.

ad utriusque ministerium, differuntur. *Quam* & Joannes brevi sententia aperuit, cap. 1. 17. dicens: Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Adde, quod Moyses ipse sequestrum & medium, quoad legislationem, inter Dominum & filios Israël se vocat, ac multis deinde verbis declarat Deut. 5. Ad quem locum, hic Paulum respexisse, valde verisimile est. *Quamvis* autem per manum in scripturis metaphorice potentia significari soleat; quoties tamen aliquid a Deo factum dicitur in manu cujuscumque, non potentia, sed ministerium aut instrumentum intelligitur, ut cum factum dicitur verbum Domini in manu Aggaei aut Malachiae prophetae. Atqui legem ministerio Moysis latam a Deo fuisse, planum est; idque hac ipsa phrasi, in manu Moysis, multis locis scriptura significat, ut Levit. 10. 11. & 26. 46. Jos. 21. 2. 8. & 22. 9. vel 12. 2. Paral. 33. 9. At ministerio Christi datam aut latam fuisse eam legem, nec dicitur usquam, nec sine errore dici potest. Haec omnia ille. E Protestantibus Th. Beza proluxa annotatione hanc sententiam defendit contra Joh. Calvini, qui alterum intellectum sequutus est, interpretationem. Bezae judicium Piscator etiam approbat. Alios commemorare nihil necesse est.

Nullo igitur mediatoris officio Christus ante incarnationem functus est. Quamvis enim concederetur, Deum patrem nihil, nisi per Verbum, ecclesiae suae patefecisse; Christum tamen, quia Deus est, idcirco propheticum munus
(quo

(qvo non summa aliqua & ἀντορετικὴ πο-
 testas significatur, sed opera tantum ac ministe-
 rium) obiisse, non sine errore dici potest. *Chri-
 stus* autem ante suam incarnationem sacerdos esse
 non potuit, quia, ut alia omittam, sacerdotii fun-
 ctio est hominum propria: ideo Christus, ut es-
 set sacerdos, ex hominibus fuit assumptus, ut
 recte differit ex apostolo A. Rivetus in psal. 110.
 p. 457. Ecclesiam etiam pari, immo eadem cum
 Patre & Spiritu sancto potestate rexit & guber-
 navit, summa scilicet, non subordinata; qualis
 est mediatoria. Pag. 348.) Ad quaestionem
 autem illam, de qua hodie inter partes tanto-
 pere contenditur, *An scil. Christus post incarnatio-
 nem suam mediator fuerit, ut Deus, an vero ut ho-
 mo, vel certe conjunctim, ut Deus & homo?* piis
 omnibus, & pacis ecclesiae amantibus sufficiat
 responsio illa Gregorii de Valentia tom. 4. com-
 ment. in Summam D. Thomae p. 381. *Si quaestio
 sit, per quid Christus proxime & immediate tan-
 quam per formam & principium operandi, obie-
 rit officium mediatoris? dicendum est, illum medi-
 atorem fuisse tantum, ut hominem. Quod etiam asse-
 ruit D. Thom. 3p. q. 26, artic. 2. Si vero communius qua-
 ritur, per quid omnino mediator fuerit, sive tan-
 quam per id, qvo proxime exercuerit id officium,
 sive tanquam per id certe, a qvo, tanquam a sup-
 posito, valorem acceperit ejus muneris functio?
 ex communi & orthodoxa sententia Patrum respon-
 deri debet, mediatorem Christum fuisse, non tantum
 ut hominem, neque tantum ut Deum, sed conjun-
 ctim ut Deum & hominem.* Et paulo post: *Nam*
 primo,

primo
 alia
 nostra
 turan
 consi
 eo mo
 Nec
 cit. c
 loqv
 med
 solun
 sive I
 sum
 sona,
 opera
 quia
 Prin
 fieba
 Falli
 cap.
 lenti
 ni d
 Sum
 doct
 gori
 Vaso
 cont
 19. C
 ut &
 moru
 homo

primo,

primo, secundum utramque naturam, licet alia & alia ratione, omnino est operatus reconciliationem nostram cum Deo. Deinde secundum utramque naturam conjunctim, ab utroque etiam extremo per se considerato differt. Ita nihil ad rationem mediatoris eo modo deest. Haec ille.

Nec alia est Bellarmini sententia, quando ait lib. cit. c. 1. ipsum quidem mediatorem, sive (ut theologi loquuntur) principium, quod operabatur opera mediatoris, non fuisse Deum solum, vel hominem solum, sed utrumque simul, h. e. Verbum incarnatum, sive Deum humanatum. Et cap. 2. non potuisse Christum esse efficacem mediatorem, nisi esset divina persona, quae officium mediatoris exerceret, ac proinde opera Christi mediatoris infinitae fuisse dignitatis, quia non fuerunt opera suppositi humani, sed divini. Principium tamen, quo illa opera a mediatore fiebant, fuisse naturam humanam, non divinam. Fallitur igitur A. Rivetus, quando in comment. cap. 12. Hof. p. 378. affirmat, Gregorium de Valentia paucis illis praeallegatis totam Bellarmini disputationem de mediatore refellere. Et Summae controvers. tract. 2. qv. 50. p. 675. contra doctissimum Chamierum, qui sententiam Gregorii de Valentia cum ea, quae est Bellarmini & Vasquesii confundit, discrepare tamen ab ea contendit. Cornel. a Lapide in cap. 3. ad Gal. 5. 19. Christus quia Deus tantum, (Pag. 349.) sic ut & quia homo tantum, pars est, & alterum extremorum; ergo, ut sic, mediator non est, sed ut est Deus homo. Ut enim est Deus homo, sic utramque partem

& ex-

& extremum, scilicet tam Deum, quam hominem, in se quasi medio junxit & univit, atque quæ Deus, mediatoris auctoritatem & dignitatem: quæ homo, mediatoris opera, passiones, & merita exercuit.

Estque hæc communis Romanensium sententia. Et sufficere visa est ad pacem & concordiam conciliandam Hier. Zanchio. Nam Epist. lib. 10. epist. ad Fratres per Poloniam: *De mediatore*, inquit, *quæ nobis videatur posse illis* (ministri scilicet Ecclesiarum polonicarum, inter quos per Fr. Stancarum gravis tum temporis super hac re excitata fuit contentio) *forma proponi, quæ & ad pacificationem faciat, & veritatem integram puramque retineat atque conservet, paucis accipite.* Cum fateantur, eum, qui debebat esse mediator, oportuisse Deum esse & hominem; fateantur ergo, ad officium mediatoris perficiendum, utramque naturam, divinam simul & humanam, fuisse necessariam: humanam, ut haberet mediator, quod offerret; divinam, ut ejus virtute efficax ad redemptionem fieret sacrificium, ac proinde Christum secundum utramque naturam fuisse mediatorem; & sacrificium quidem fuisse ab humanitate, vim vero sacrificii a deitate. Et certe optima & necessaria est hæc illatio. Non potuit perfectus esse mediator inter Deum & homines, nisi qui verus Deus esset, & homo. Ergo ad perficiendum verum mediatoris officium, non minus divina quam humana natura fuit ei pernecessaria; & ea re, neutra fuit aut esse potest in eo otiosa & vana a mediatoris officio. Quare si Christus officium

mediato-

mediatoris perfecit, non hoc perfecit, quatenus homo tantum, sed etiam quatenus Deus est. Admittant igitur hanc consequentiam, quae necessario consequitur ex assumpto. Et facta fuerit christiana pax atque concordia. Videtur nobis haec componendi ratio non posse merito nec debere ab illis fratribus rejici, quod & certissima sit & plana, & ad concordiam faciat, & illorum etiam existimationem conservet. Sic enim poterunt semper suam explicare sententiam, nimirum se, cum dixerunt, Christum esse mediatorem secundum humanam naturam tantum, ipsum etiam tantum externum mediatoris spectasse officium, quod quidem officium est cumprimis pati & mori; Pag. 350) id quod certe Christo minime convenit, nisi quatenus homo est: est enim passus carne, ut ait * Petrus; caeterum se nunquam inficiatos fuisse, vim & efficaciam sacrificii Christi ab ipsius deitate & spiritu in carnem derivatam fuisse. Haec omnia vir doctissimus suo & collegarum nomine scripsit. Quin immo A. Rivetus in Summa controvers. p. 673. Cum hoc tempore, inquit, qui inter Pontificios causam illam agunt, admittant, unionem hypostaticam fuisse ad mediatorem necessariam, & ex ea pendere totam dignitatem & efficaciam eorum, quae Christus in humana natura pro nostra salute peregit, minor erit difficultas, & fortasse potius de verbis, quam de re ipsa controversa. Neuter tamen alias sibi hac in re satis constat, ut mox demonstrabimus. Vide Zanchium in epist. ad Wilh.

Ll

Stucki.

* Petrus] 1. ep. 3. 18.

Stuckium, & Rivetum, in locis infra citandis. In generali etiam Synodo sendomiriensi anno 1570. consensus Ecclesiarum reformatarum majoris & minoris Poloniae cum quibusdam fratribus ministris, qui sequebantur dogma de mediatore controversum, in hunc modum factus est, ut legere est in Harmon. confess. *Quidam pii fratres, qui inter nos controversam de mediatore sententiam modeste & pietatis regula observata componi cupiebant, & Ecclesiae communionem desiderabant, hanc proposuerant Ecclesiae formulam sapientiae hujus controversiae gratia: Credimus, mediatorem Dei & hominum esse Christum Jesum, ita ut mediationis in humana natura peractae vim totam ac efficiaciam, a divinitate ejusdem Filii incarnati, Patris non incarnati, Spiritus sancti non incarnati processisse non negemus, sed constanter asseveremus. Quam quidem confessionem illorum, Synodus generalis orthodoxe intellexit, recepit, & approbavit, hosque Fratres in numerum membrorum Ecclesiae suae suscepit.* Vide etiam hic J. A. Thuanum Hist. lib. 47. p. 636. qui rem eodem refert modo.

Sed plerique rigidiorum Protestantium hac explicatione non contenti, contendunt, *Christum ut mediatorem, non tantum fecisse humanas operationes, quibus vis & efficiacia a Christi divinitate processit, sed etiam operationes divinas; divinas, inquam, non tantum ratione principii quod, seu suppositi: sic enim omnes Christi operationes, etiam illae, per quas munus mediatoris exercuit, fuerunt*

runt divinae, (pag. 351.) quia illius, qui verus erat Deus; *sed etiam ratione principii quo*, i. e. a divina natura, tanquam principio, quo eliciuntur & efficiuntur opera mediatoria, non minus quam natura humana procedentes.

Sed contra hanc sententiam illud primum maxime facit, quod ex ea necessario sequitur, Christum secundum divinam naturam Patre minorem, eique subiectum & obedientem fuisse; quod sine errore dici non potest. Responsio autem vulgo hic usurpari solita a Protestantibus, Christum sic Patre minorem eique subiectum & obedientem statui secundum divinam naturam, non simpliciter & in se consideratam, quae haeresis sit ariana, sed *pro ratione gratiosae illius economiae seu dispensationis*, ad quam se nostri causa voluntarie demisit homo factus, non est solida. Simpliciter enim impossibile est, (ceu recte respondet Gretserus, Bellarmini hyperaspistes) ut Christus etiam voluntarie, secundum naturam divinam, Patri se subiciat, proprie loquendo de subiectione; quia non potest velle id, quod per nullam potentiam effici potest. Impossibile autem est, ut, ubi est eadem numero res & naturae identitas, ibi sit subiectio, ut & ibi, ubi prorsus est eadem auctoritas, maiestas, potestas summa & suprema, quae in realiter distinctis personis S. Trinitatis inest. Nec valet similitudo ex rebus humanis petita, ubi non solum aequalis aequali, sed etiam major se subdere potest sponte minori, quia natura humana sal-

tem moralis, quoad dignitatem, majoritatis & minoritatis, ut sic loquar, per vices capax est, minime autem natura divina Christi, quaecum sit omnium suprema, nullius potestati sese sub-
 jicere potest: implicat enim contradictionem haec subjectio. Omnis quippe subjectio vera & proprie dicta, sive sit libera seu voluntaria, sive necessaria & naturalis, imparem sortem & conditionem essentialiter includit. Hoc ultro & ingenue confitetur ex Protest. Jo. Piscator in Notis ad C. Vorstii Amicam collationem sect. 95. Nam ad verba Vorstii: *Nihil vetat, Christum respectu naturae divinae, simpliciter & per se consideratae, Patri suo esse aequalem; & tamen quoad ordinem subsistendi, sed maxime quoad aeconomicam officii mediatorii susceptionem, Deo Patri subiectum*, in margine notat: *Nequaquam*: nam aequalitas naturae divinae subjectionem omnem respuit. ad verba: *Nosti illas veterum regulas: Aequalitas naturae non tollit ordinem, aut subordinationem divinarum personarum.*) Confundis diversa. Ordo quidem est inter tres personas; at non est inter eas subordinatio, quia haec pendet a voluntate subordinantis: at ille ab ipsa natura. (Pag 352.) ad verba: *Et sane si Christus etiam in vet. testamento, quum nondum homo natus esset, subinde legatum Patris egit, sive ut angelum Dei sese gesit.*) Istud nomen tribuitur filio Dei improprie. & ad sequentia: *Sive ex imperio & ordinatione Patris tandem in carnem venit, ut in ea opus redemptoris perficeret.*) Hoc (ex imperio scilicet) nusquam docet

docet scriptura, & pugnat istud cum maiestate naturae divinae, cui imperari nihil potest, cum Deus sit supremus dominus. Illa ordinatio fuit Patri cum Filio & Spiritu sancto communis; quia est de opere ad extra. Verbo ut dicam, tota illa sectione contendit contra Vorstium, totum Christum, sive secundum utramque naturam, non fuisse in potestate Patris, quod dixerat ille, quia non secundum divinam. Atqui Christus, ut mediator Patris potestati proculdubio subditus est. Quae quidem Protestantes ex Cyrillo lib. 10. Thesauri c. 8. citant de *subjectione Filii secundum divinam naturam*, nihil ad hanc rem faciunt, ut cuius locum legenti clare apparere potest; & *subjectionis* vocabulum ibi valde improprie usurpat Cyrillus. Perperam etiam ad hanc oeconomicam subjectionem filii, ut Dei, rapiunt exinanitionem illam, de qua Paulus Philipp. 2. 7. Exinanitio enim haec non consistit in aliqua submissione & dejectione divinae naturae intrinseca, (nullo quippe modo possibile est, ut Christus, vel ulla persona divina in natura divina, etiam voluntarie & oeconomicè sese exinaniat, vel alteri subiciat) sed in hoc, quod Deus manens id, quod erat, h. e. Deus, humanam naturam assumere, & sibi hypostatice unire voluit, quodque etiam secundum humanam naturam, vitam adeo inopem, variisque aerumnis & molestiis obnoxiam elegit, ut explicant theologi. Juxta hanc sententiam, Christus, ut Deus, mediator est inter nos & se ipsum

etiam, ut Deum, (tota enim Trinitas, non Pater solus, nobis propter offensas irata fuit placanda) & *ἀνθρωπίνως*, se ipso *φυσικῶς* considerato, minor est Christus, etiam quia Deus : quod plane intelligibile est. Videantur aliae rationes, quae contra hanc sententiam adduci solent apud alios, qui latius hanc controversiam pertractant : ad quas nihil solidi a diversum sentientibus responderetur.

pag. 353.) Locus apostoli 1. Tim. 2. 5. *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*, clare demonstrat, secundum quam naturam persona Christi, seu Christus Deus & homo operationes mediatorias exercuerit, secundum humanam scilicet : unde expresse ait Apostolus, *homo Christus Jesus*. Locum hunc certe sic intellexit, & sententiam supra traditam clarissime confirmat Augustinus lib. 2. de Peccato originali cap. 28. *Non per hoc, inquit, mediator est, quod aequalis Patri : per hoc enim, quantum Pater, tantum & ipse a nobis distat. Et quomodo erit medietas, ubi eadem ipsa distantia est? Idco apostolus non ait, unus mediator Dei & hominum Christus Jesus, sed, homo Christus Jesus. Per hoc ergo mediator, per quod homo inferior Patri. Et in ps. 103. concione 4. de tertia parte ejusdem psalmi : Christus mediator inter hominem & Deum, non quia Deus, sed quia homo : non quia Deus aequalis Patri, sed si aequalis Patri, non mediator. Ut autem si mediator, descendat a superiore ad inferiorem, ab aequalitate Patris,*

Patris faciat, quod ait Apostolus: Semet ipsum exinanivit formam servi accipiens. Et lib. 10. Confess. c. 43. In quantum homo, inquit, in tantum mediator, in quantum autem verbum, non medius, quia aequalis Deo, & Deus apud Deum, & cum Patre & Spiritu sancto unus Deus. Et tract. 82. in Joann. Mediator Dei & hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo est Jesus Christus. Vide etiam l. 1. de Trinit. c. 7. ubi Christus, inquit, in forma Dei aequalis Patri, in forma servi, mediator Dei & hominum. l. 10. de Civitate Dei c. 20. & locos alios non paucos. Similiter Fulgent. de Incarnat. & gratia Christi c. 13. Hic in humana natura, in qua mediator Dei & hominum factus est, iustitiam habuit ex Patre, mortem ex matre, ut per ipsam liberaremur ab omni peccato. Adi etiam, si lubet, Vigili l. 5. contra Eutychen, Theodoretum in locum ex 1. Tim. 2. 5. citatum, aliosque.

Quod ad haec testimonia, maxime autem Augustini, respondent dissidentes Protestantes aliique nonnulli, verborum horum hunc esse sensum, quod Christus, non quia Deus nudus, sed quia Deus homo factus, nec sine homine sit mediator, (quo ipso obiter nota, lector, manifeste destrui sententiam illorum, qui etiam ante incarnationem Christum munus mediatoris aliqua ex parte obuisse affirmant) sicut ipse Aug. l. 11. de Civit. Dei cap. 2. inquit: *Ad Deum iter est homini per hominem Deum: per hoc enim Dei filius mediator, per quod & homo. Unde inferunt non*

quod homo sine Deo, pag. 354.) sed quod non solus Deus, verum per hominem sit mediator, &c. verbis Augustini aperte adversatur: negat enim ille disertissime, Christum, in quantum Deum, esse mediatorem, quia, in quantum Deus, est aequalis Patri: mediator autem debet esse medius, distans a duobus extremis. Christus etiam Deus homo aequalis est Patri, non enim propter assumptam humanitatem factus est Patre inferior. Deinde si haec Augustini mens fuisset, dicendum illi fuisset: *Christus in quantum homo, in tantum non mediator, vel in quantum Deus non mediator, in quantum vero homo Deus, mediator, non autem simpliciter: in quantum homo, in tantum mediator, in quantum Deus, non mediator.* Denique licet non neget Augustinus, mediatorem, h. e. eum, qui officio mediatoris fungitur, esse Deum & hominem, negat tamen eum fungi officio mediatoris, ut Deum. Vtrumque illud Augustinus de Civit. Dei l. II. c. 2. exprimit. *Ad Deum est iter homini per hominem Deum*, tanquam principium quod: per hoc enim principium, quo mediatorialia opera exercentur & immediate eliciuntur, Dei Filius mediator, per quod & homo.

Quod frequenter in ore habent Protestantes rigidiores illud Leonis magni in epistola illa celeberrima ad Flavianum: *Agit utraque forma, i. e. utraque natura Christi, cum alterius communione, quod proprium est, verbo scilicet operante, quod verbi est, & carne exsequente, quod carnis est, impertinenter*

nenter huc trahitur ; quia B. Leo non dicit, utramque formam agere opera mediatoria, sed utramque formam cum alterius communione agere, quod proprium est : de quo nemo sanae mentis dubitat. Quae a dissentientibus producuntur testimonia *ex patribus*, Irenaeo l. 3. c. 20. Epiphani, in Anchorato, Chrysost. Ambros. Theodor. Theophil. in locum 1. Tim. 2. praeallegatum, August. Enchirid. c. 180. & aliis quibusdam locis, nihil aliud probant, quam mediatorem Dei & hominum debuisse utramque naturam in se habere, ut Deum & homines in amicitiam redigeret ; ut ab aliis fuisse demonstratum est. Quaeritur semper de principio quo operum Christi mediatoriorum, non de principio quod Argutias & subtilitates Vasquesii hic disputantis in 3. D. Thomae tom. 1. disp. 83. c. 3. contra aliorum suorum gregalium sententiam de principio quod operandi in Christo, utrum sit tantum suppositum, an natura ipsa etiam abstracte considerata, non moramur. Quod ad rei summam attinet, ille cum caeteris consentit.

Sed videamus, quas illi velint actiones mediatorias esse Christi, (pag. 355.) ut Deus est, proprias. 1. *Remittere peccata solius*, inquit, *Dei est*. Potestas tamen haec ad mediatorem pertinet. Resp. Potestas suprema & prima remittendi peccata solius Dei est Patris, Filii, & Spiritus sancti. Satisfacere pro peccatis nostris, & remissionem peccatorum promereri, est proprium Christi mediatoris & hominis ; ut etiam.

peccata remittere potestate communicata & delegata, sed modo longe excellentiori & eminentiori, quam ministris ecclesiae concessa est. Quocirca illam recte vocant Scholastici distinctionis gratia, potestatem excellentiae, hanc autem, potestatem ministerii. 2. Illuminare hominum mentes, renovare corda, & dare spiritum sanctum, &c. Sed hae operationes, quum sint ad extra, Patri cum Filio & Spiritu sancto communes sunt. Christus, ut mediator & homo, ad has actiones non concurrat, nisi instrumentaliter & meritorie; sed ut instrumentum conjunctum & singulare, non separatum & commune: qualia instrumenta fuerunt Apostoli & Prophetae, ut recte Romanenses & Vasq. in 3. D. Thomae tom. 1. disput. 79. c. 1. *Quamvis dicere possemus, Christum meruisse, ut ad nos mitteretur Spiritus S. tamen dici nulla ratione potest, meruisse ad nos mittere Spiritum S. ipse enim solum potuit mittere Spiritum sanctum, quatenus erat Verbum, & Filius Dei; & hac ratione non potuit missio cadere sub meritum ipsius.* Calvinus ipse in Joh. 14. 16. Spiritum hic vocat donum. Patris, sed quod ipse precibus suis impetravit: alibi a se ipso dari promittit. *Utumque vere & apte dicitur, nam quatenus Christus mediator & patronus noster est, a Patre impetrat gratiam Spiritus; quatenus Deus est, eam a se ipso largitur.* Haec ille. 3. Salvare & nos vita aeterna donare. Respondeat Sibrandus, scriptor rigidissimus, l. 1. contra Socinum de Christo servatore c. 6. p. 67. *Christus quia Deus, dat nobis vitam efficientia; quia homo, (ad-*

de

de
ib
rite
stus
eod
tor
na
fer
un
fec
era
tri
pag
us
mu
pa
O
cla
pi
fal
qu
qu
di
D
du
m
do
pr
bu
&
til

de & mediator : haec enim duo fere semper
 ibi conjungit , ut viderelicet) *dat eam nobis me-
 rito & obedientia.* Sicut p. 202. l. 2. cap. 11. *Chri-
 stus, ut Deus & ut mediator, remittit peccata, sed non
 eodem modo ; ut Deus efficienter, ut mediator, meri-
 torie.* 4. *Incaruari seu assumere naturam huma-
 nam.* Sed Christus ut Deus , assumpsit formam
 servi, non quia in forma Dei mediator fuit, aut
 unquam futurus erat, sed ut mediatoris officio
 secundum naturam humanam fungi posset. 5. *Sa-
 crificare.* Christus enim ut Deus, obtulit Deo Pa-
 tri humanam naturam in mortem, ut victimam.
 pag. 356.) Sic enim non solus Stanislaus Sarnici-
 us, multum a Calvino laudatus, sensit, sed per-
 multi etiam alii Protestantes, quorum nominibus
 parco. Videsis, aequè lector, Chamierum de
 Officio mediatoris lib. 7. cap. 7. n. 17. At quid
 clarius illis Cyrilli verbis in Apologia pro 12. ca-
 pitibus contra Orientales ? *Quando Christus
 factus est homo, vocatus est etiam pontifex, non
 quod tanquam majori Deo offerret sacrificium, sed
 quod sibi ipse & Patri.* Et infra: *Audiens, quod
 dictus est sacerdos, propter humanitatem, erubescisne ?
 Deinde quomodo non admiratus es, quod non secun-
 dum sacerdotum morem, alteri detulerit sacrificii
 modum, sed sibi ipse potius, & Patri, ut dixi ? Quan-
 do dicis, indignum esse Deo, ut sacrificet, adsti-
 pulor & ego. Sed si solum esset & absque carne Ver-
 bum, recte diceres : at vero, quia factum est caro, vide
 & sacrificantem propter humanitatem, & in dignita-
 tibus ultra creaturam, sicut Deum : confidet enim
 cum*

cum Deo & Patre. Itaque vide ipsum sacrificantem secundum humanitatem, confidentem ut Deum. Vide Augustinum l. 1. de Trinit. c. 10. in psal. 109. & lib. 10. de Civit. Dei c. 20. ubi haec habet: *Vnde verus ille mediator, in quantum formam servi accipiens, mediator effectus est Dei & hominum; cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo unus est Deus, tamen in forma servi sacrificium maluit esse.* & lib. 1. de Contens. evangel. c. 3. Theodoretus in ps. 109. & in c. 2. ad Hebr. in verba, *Vt misericors fieret, & fidelis pontifex apud Deum, Haec dicta sunt, inquit, quoad humanitatem. Neque enim noster pontifex est, ut Deus, sed ut homo.* Et in c. 7. de Christo verba faciens, *Est, inquit, hominis, fungi sacerdotio; Dei vero, ea quae offeruntur suscipere.* Adde Nazianz. orat. 4. de Theologia, Ambr. l. 3. de Fide c. 5. aliosque plurimos in eandem sententiam conspirantes. Vnde nonnulli etiam Protestantes multo hic sunt aliis modestiores. Negat A. Rivetus, ut supra diximus, Filium Dei potuisse sacerdotem esse, ante suam incarnationem: *Quia sacerdotii functio, inquit, est hominum propria, ideo Christus, ut esset sacerdos, ex hominibus fuit assumptus.* Vide comment. in ps. 110. p. 457. Et in Summa controvers. tractat. 2. qv. 50. p. 675. *Non tantum sacerdotalis dignitas, inquit, (eam plane a Christi divinitate removens) partem muneris mediatorii illius facit, sed etiam prophetica & regia.* Piscator in verba Heb. 9. 14. *Christus obtulit se ipsum per spiritum aeternum Patri, scribit: Ex hisce*

communiter probant, Pag. 357.) Christum secundum divinitatem sacrificasse vel obtulisse seipsum Patri per spiritum aeternum, id est, per animam immortalem. Quo minus autem per haec verba videatur intelligenda deitas, vel Spiritus sanctus, ratio est, quia deitatis non est offerre sacrificium, sed ipsa est, cui offertur sacrificium ab homine, quatenus homo. Sed falso per spiritum aeternum intelligit Piscator animam Christi immortalem. Verus verborum sensus est: Christus obtulit se per Spiritum sanctum, i. e. impellente & cooperante Spiritu sancto; obtulit se, inquam, sed secundum naturam humanam: ad hoc enim sacrificium offerendum a Spiritu sancto impulsus est. Vide praeter Romanenses, doctissimum A. Hyperum in locum, ut alios mittam. Rich. Fieldus l. 5. de Ecclesia c. 16. Neque arbitramur, Christum mortuum vel se ipsum in ara crucis obtulisse, vel denique orasse pro nobis secundum naturam divinam, sicut quidam calumniantur nos dicere. Sed revera multi rigidiorum Protestantium diserte affirmant, quicquid ille neget, Christum ut Deum non tantum sacrificasse, sed etiam Patrem pro nobis orasse, immo & obedivisse Patri; quae omnia a Dei maiestate alienissima sunt, quum hae actiones omnes sint subditorum & inferiorum: neque commentitia illa distinctio, de qua * supra, quicquam illos juvat, ut ibi ostensum. Videantur hic scripta Lutheranorum, aliorumque. August. in pl. 87. *Oravit Dominus, non secundum formam Dei, sed*

* Supra] Pag. 357.

sed secundum formam servi, secundum hanc enim & passus est. Et in 85. Orat pro nobis, ut sacerdos noster; orat in nobis, ut caput nostrum; oratur a nobis, ut Deus noster. Vide eundem in praefat. enarrat. 2. pl. 29. Ex quo enim homo, ait de Christo, ex hoc & infirmus: ex quo infirmus, ex hoc & orans. Adde tract. 102. in Joan. Quia brevitati studemus, consulantur hic alii. Sed cum sit rex mediatorius, inquit A Rivetus Summae contro. loco ante citato, quatenus Deus homo, & regni illius administratio solis humanae naturae actionibus terminari non possit, necessarium est, ut admittantur etiam actiones divinae naturae, in persona mediatoris, quibus suos regat per spiritum suum, eosque tueatur contra omnes adversarios, daturusque sit eis salutem & vitam aeternam. Sed longe aliter Augustinus lib. I. de Consensu evangel. cap. 3. Secundum hominem, inquit, Christus rex & pontifex effectus est. Christus ut Deus, eadem potestate, suprema scilicet & cum Patre & Spiritu sancto, ecclesiam & omnia regit ac gubernat. (pag. 358.) Qua homo & mediator, ad regiam dignitatem & potestatem, quae supremae subdita est, propter obedientiam suam usque ad mortem exaltatus est a Patre, & eandem per modum instrumenti, sed hypostatice cum divinitate conjuncti & uniti, exercet, ut omnes saniores theologi docent.

Thom. Mortonus, * angulus, in sua non in-

* Angulus] Baravacensis; adeoque distinguendus a Thoma Mortonio, episcopo. De quo videatur annotatio nostra ad pag. 414.

erudita prioris epist. ad Corinth. Expositione,
 Londini excusa anno 1596. in verba c. 15. 24. De-
 inde finis, quum tradiderit regnum Deo & Patri:
 Christus, inquit, ut duplicem naturam, ita duplex
 regnum, i. e. summam potestatem & auctoritatem,
 qualis est in regibus, habet. Nam, ut est Deus, po-
 testate omni infinita praeditus est, primarie a se
 ipso, aequaliter & una cum Patre ab aeterno in ae-
 ternum regnans. Hoc regnum ut a nemine acce-
 pit, ita nemini unquam iradet. Deinde secundum
 humanam naturam non est privatus homo, sed po-
 tius rex, omnem potestatem in caelo & terra sibi da-
 tam habens; idque in hunc finem, ut illius virtute
 omnia ad officium mediatoris & salutem ecclesiae
 pertinentia efficere possit. Et paulo post: Hanc
 auctoritatem (ut & officium mediatoris & humanam
 naturam) a Deo Patre, (qui praedicta omnia
 non immediate per se ipsum, sed per Christum ho-
 minem operatur) delegatam habet, eamque suscepit
 quidem una cum humana natura & mediatoris offi-
 cio, at non exercuit, & palam ostendit, usque dum
 satana, peccato, morte, & reprobis omnibus, qui ei
 adversantur, devictis, in caelum triumphans ascen-
 deret. Et paulo post: Tum demum haec Chri-
 sti auctoritas cessabit, non quidem omnino;
 nam in aeternum & electis & reprobis domi-
 nabitur; sed quoad hanc gubernandi ra-
 tionem: & mediatoris officium tradetur Deo,
 qui immediate sine mediatoris ope ecclesiam re-
 get, & in aeternum incolumem servabit, & Pa-
 tri, i. e. Deo Patri, qui omnium creaturarum
 actio.

actionum, pag. 359.) qui humanae Christi naturae, mediatoris officii, huius temporarii regni autor & primum principium est, tradet quidem, vel potius accipit Christus hanc auctoritatem sibi ipsi, quatenus Deus est; sed scriptura, ad clariorem humanae naturae Christi & officii mediatoris explicationem, ubique humanam, raro autem divinam Christi naturam commemorat, sed uni Patri, ac si solus Deus esset, deitatem attribuit. Vide eundem ibid. ad vers. 28. Et ad verba 1. Cor. 11. vers. 3. Christus, inquit, quatenus est homo & mediator, Deo Patri ejusque voluntati & imperio per omnia subicitur, eum omnium suarum actionum autorem habet & agnoscit, ab eo omnem suam dignitatem, auctoritatem & gloriam capit. Haec ille, multis aliis hac in re, ut in aliis quibusdam multo sanior. Vide etiam hic, si libet, Apologiam pro confessione Remonstr. ad censuram cap. 2. pag. 39. Joan. Davenantius in epist. ad Coloss. 3. 1. pag. 333. Illud imprimis tenendum, inquit, haec dici de Christo proprie & praecipue secundum naturam ejus humanam, qua resurrexit & ascendit & sedet ad dextram Patris, ut habetur in symbolo apostolico. Et paulo post: Hac sessione significatur, Christum quia homo est, peracto opere redemptionis nostrae, non modo immortalitate, & perfecta beatitudine donatum, sed in caelos evectum, supra omnes creaturas collocatum, totius mundi dominum, gubernatorem, & judicem; ecclesiae autem imprimis regem & patronum gloriosissimum & potentissimum constitutum. Vide auto-

autorem ipsum, qui tamen alibi sibi vix constare videtur.

Distinctio hic a plerisque usurpari solita, *non absolute Christum, secundum divinam naturam, toti Trinitati communem, esse mediatorem, sed secundum naturam divinam in hypostasi filii existentem*, inepta est, ne quid gravius dicam. Vna enim & eadem, immounica est divinitas, quae toti Trinitati est communis, & quae in Filii hypostasi existit, etiam prout in illa existit, (Pag. 360.) ut recte Gretserus scribit contra Frid. Balduinum, lutheranum: nam & hac ratione, a parte rei, communis est Patri & Spiritui sancto, licet concipi a nobis possit, ut in solo Filio existit. Christus Deus incarnatus est, & in care assumpta perfunctus est munere mediatoris, sed non ut Deus, h. e. secundum divinam naturam, est incarnatus vel mediator est; necessario enim, inde sequeretur, Patrem itidem & Spiritum sanctum incarnatos, & mediatores esse, cum, quicquid Filio secundum naturam divinam primo & per se competit, commune sit Patri & Spiritui sancto: alioqui Christum, ut Deum, h. e. ut hypostasin divinam, incarnatum esse, & fuisse, atque etiamnum esse mediatorem, at non secundum divinam, sed humanam naturam, verissimum est, & nemo fidelium dubitat, nedum inficias it, ut idem Gretserus verissime affirmat.

Cl. Espencaeus, vir alias doctissimus, in tractatu de Christo mediatore, qui extat in Di-

Mm

gressio.

gressione in cap. 2. ep. 1. ad Tim. a sententia Protestantium rigidiorum videtur non omnino alienus fuisse, licet non raro admodum obscure & ambigue loquatur. *Et haec, inquit cap. 5. illa est Helena, propter quam mirati sumus, Polonos tam acriter dimicare, etiam aliunde accersitis ex Germania & Helvetia copiis auxiliaribus. Esse nimirum, qui mediatorem Dei & hominum, Christum Jesum, secundum humanam tantum naturam esse dicique, adeo praefraete & mordicus tuedantur, ut secus sentientes, mediatoremque juxta utramque simul naturam divinam atque humanam defendentes, arianismi & id genus in filium Dei Deum haereseon insimulent. Praestabat utique, Augustinum Augustino, ne dum caeteris, conciliare, quam committere vel collidere. Cum igitur de mediatione hic loquamur, non patiente tantum, aut ad mortem usque & mortem crucis obediente, sed victoriosa, h. e. tot victoriarum, nimirum contra diabolum, peccatum, carnem, mundum, mortem, & inferos reportatrice, &c. Sic mediatorem sentimus non magis hominem sine Deo, quam Deum sine homine esse, fore, vel fuisse. Sic, inquam, sentimus, vel potius cum omnibus totius retro ecclesiae Patribus consentimus. (pag. 361.) Quibuscum nobis sunt de hoc sensu & consensu communes rationes. 1. Non minus de ratione mediatoris est, quod in aliquo utriusque extremi particeps sit, quam quod in aliquo ab utroque extremo distet. 2. Si mediator est Christus ut homo tantum, paralogismus est, & non syllogismus Patrum graecorum latinorumque, ex mediatoris*

voca-

vo
in
iid
tan
qu
ide
illu
gr
Se
pr
ho
gn
flu
te
qv
est
ma
ser
loc
Au
ne
dic
or
me
agi
mo
pos
nes
tat
loq
&
seq

vocabuli etymologia, ratione officii, divinam in Christo naturam inferentium. 3 *Quid? quod iidem mediatorem non ideo tantum dictum interpretantur, quod homines Deo reconciliaret, sed & quod duo extrema in se uno conjunxerit, unus idem vere Deus, vere homo.* Respondet etiam ad illud I. Tim. 2. 5. & locos Augustini in speciem pugnantes, ut ait, summopere conciliare laborat. Sed vir doctissimus rationibus suis nihil aliud probat, quam oportuisse mediatorem Dei & hominum, Deum simul & hominem esse, & dignitatem ac efficaciam operum, quae Christus ut mediator & homo praestitit, a dignitate personae procedere. *Nec tamen ob hoc, inquit Aug. lib. 9. de Civit. Dei. cap. 15. mediator est, quia Verbum; maxime quippe immortale, & maxime beatum verbum longe est a mortalibus miseris: sed mediator, per quod homo.* Responsio ad locum I. Tim. 2. 5. & conciliationes locorum Augustini, quas adducit, plane violentae sunt, nec de Augustini mente, quicquid ille contradicat. Ibidem tamen cap. 6. affirmat, Christum orare, & offerre, quia hominem tantum. *Ac de mediatore, inquit, non tantum orante aut offerente agimus, sed etiam exorante, & propitiante, quali homo simplex non erat futurus, & nisi Deo juxta hypostasim conjunctus.* Sed semper confundit actiones mediatorias proprie sic dictas, & illarum dignitatem & efficaciam; quae tamen duo, si exacte loqui velimus, distingui debent; varia alioquin & gravia incommoda ex confusione necessario sequuntur.

In eadem sententia videtur etiam fuisse Jac. Gorscius, polonus romanensis, qui Praelectionum plocensium l. 2. dicato serenissimo Poloniae Regi (liber editus est Coloniae 1608. Vide Riveri Summ. controuv. loco ante saepe allegato) *contra non paucos, ut inquit, Catholicorum, pag. 362.) & hujus aetatis haereticum illum contentiosum Fr. Stancarum contendit, Christum secundum utramque naturam mediatorem esse, ita tamen, ut alia divinitatis ejus sint, alia humanitatis officia & operationes, quae tamen unum & idem mediationis opus conficiant.* Sed in verbis illis, quae A. Rivetus ex eo producit, minus dextre & commode subinde loquitur. *Qualia enim sunt ista? Quia humiliavit se ipsum & exinanivit, & obediens Deo patri fuit, eo ipso Deum patrem placavit; quae divinitatis sunt: humiliatus enim Christus secundum divinitatem, non quod divinitas aliquid inde contumeliae caperet, pura semper & in eadem gloria manens, sed quod forma servi accepta, inferior Patri factus sit.* Sed, quaeso, an forma servi accepta secundum divinitatem, cujus eadem semper mansit gloria, ipsomet confitente, se ipse exinanivit, & inferior & minor Patri factus est? Alia, quae ex eodem libro citat ibidem Rivetus ex Stanislai Orechovii, roxolani, Chimaera, contra Stancarum, descripta & laudata, ut refert Gorscius, ab aliis quibusdam Romanensibus in Italia & Hispania, maxime Compluti a Gasparo Cardillo Villalpandeo, non moror. Neque omnium theologorum romanensium vel pro-

testan

testantium judicia aeqve exacta sunt; ut nec eorum, quae ab iis, qui secus, quam ipsi, sentiunt, dicuntur, intelligentia aeqve clara.

Sed ut diatribam hanc tandem concludamus; *in hoc conveniunt partes disidentes*, ad mediatoris personam constituendam, & munus mediatorium plene & efficaciter exercendum, necessariam fuisse utriusque naturae in Christo hypostaticam unionem: & actionum ac passionum omnium mediatoriarum in humana Christi natura, atque per eam peractarum efficaciam & pondus, a dignitate personae Christi esse & fluere. Atque hoc solum sufficiat viris moderatis & pacis ecclesiae amantibus. Certe non nisi admodum incommode, immo & periculose asseritur, *Christum etiam secundum divinam naturam munus aliquod mediatorium exercuisse aut exercere*, ut propheticum, ecclesiam etiam ante incarnationem, ministerialiter docendo; sacerdotale, offerendo se ipsum ut hominem in hostiam, & orando; regium, potestate dependenti & subordinata, atque a Patre libere & liberaliter Filio etiam ut Deo donata, ecclesiam regendo. (Pag. 363.) Neque tam libenter audio, *diversum hac in re sentientes, arianismi, euty- chianismi, & similibus haereseon*, jam olim ab ecclesia damnatarum, quasque nulli magis, quam illi ipsi detestantur & damnant, licet propter humani iudicii imbecillitatem, quid ex quo hic necessario sequatur, clare non videant, in-

550 *An Christ. etiam sibi aliq. meruerit.* p. 364.

simulare & damnare: quod a multis contentio-
sis scriptoribus hactenus, sed perverso more,
factitatum est. *Videntur extrema, & pax esto.*

Pag 364.

Pars altera,

*Qua Christum mediatorem sibi
etiam aliquid meruisse, paucis
ostenditur.*



Vaestienem hanc, *An Christus medi-*
ator, obedientia vitae & mortis, non so-
lum nobis gratiam & gloriam, sed etiam
aliquid sibi meruerit seu acqviserit,
stultae curiositatis, & ejusdem de-
finitionem temeritatis damnare non verentur
nonnulli e Protestantibus rigidioribus, immo
assertionem hanc scripturis manifeste repugnare
affirmant, ut constat.

Christum praecipue quidem incarnatum, & pas-
sum ad restitutionem generis humani, clarissime &
saepissime docent scripturae & Patres; neque
difficilius Romanenses aliique, qui meritum.
Christi proprium tuentur. Vasq. in 3. D. Tho-
maetom. 1. disp. 79. cap. 1. *Ad testimonia, inquit,*
illa omnia, in quibus Christus dicitur pro nobis labo-
rasse, & aliquid nobis meruisse, respondetur, in illis
exprimi id, quod fuit primariae intentionis Christi,
non tamen negari, aliquid sibi meruisse. Nostra re-
demptio, non autem ea, quam Christus sibi meruit,
gloria;

gloria, fuit praecipua causa adventus & passionis ejus. Haec ille. Similiter Busaeus in Apologet. contra Gerlachium lutheranum cap. 4. thesi 41. pag. 96. & rursus pag. 109. caeterique omnes consentiunt. pag. 365.) Non tamen idcirco negandum est, Christum sua obdientia & passione vere promeruisse etiam exaltationem suae humanitatis & glorificationem carnis; nam petiit a Patre, non nos tantum, sed se etiam glorificari; Joh. 17. 9. 17. 1. 5. *gloria corporis, & exaltatione nominis sui*, ut exponit ibi Augustinus.

Immo multa scripturae loca ostendunt, passionem Christi non solum antecessisse, ut respondere solent dissidentes, sed etiam *causam meritoriam consecutae exaltationis & glorificationis fuisse*. Psal. 110. 7. *De torrente in via bibit: proterea exaltabit caput.* Esa. 53. 11. & 12. Philip. 2. 8. 9. *qui locus inprimis illustris est: Humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum.* Heb. 2. 9. *Cum autem, qui modo, quam angeli, minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Sic enim Graeci, & multi alii hunc locum intelligunt, licet alii aliter explicent, contra structuram totius orationis, & contra verba, quae sequuntur, quibus apostolus quasi causam reddit, cur propter passionem mortis, gloria & honore fuerit coronatus: *Decebat enim, inquit, auctorem salutis, ipsorum perpeffiones consummare.* Denique Apoc. 5.

552 *An Christ. etiam sibi aliq. meruerit.* p. 366.

12. *Dignus est agnus , qui occisus est , accipere virtutem, &c.*

Patres omnes communi consensu docent, Christum non tantum nobis salutem , sed sibi etiam exaltationem promeruisse. Illorum testimonio apud alios legantur. Nos in re clara omniumq; oculis exposita, nolumus actum agere & soli lumen inferre. Videatur inprimis Augustinus lib. 2. contra Maximin. cap. 5. & l. 3. cap. 2. & tract. 104. in Joan. Vbi verba apostoli explicans , *Propter quod & Deus, &c. Humilitas Christi, inquit, claritatis est meritum, claritas humilitatis est praemium, sed hoc factum est: in forma servi, &c.* Consulantur & caeteri, locis ab aliis monstratis.

Multi etiam ex doctissimis Protestantibus contra alios rigidiores hanc sententiam defendunt. Hier. Zanchius in Confess. fidei suae praefat. ad lectorem. *Cum jam, inquit, absoluta esset totius libri editio, certior factus fui, non deesse, qui improbent, quod scripsi in Apoc. 11. 15. Christum non solum sibi, (Pag. 366.) sed etiam nobis vitam aeternam promeruisse: quod si illud, Sibi, impie a me positum fuerit. Miratus sum initio, & non parum sum miratus, cum nihil hac doctrina sit clarior apud Patres, a quibus & Scholastici acceperunt. Sed simul ac in mentem mihi venit, diversa esse hominum palata, & aliis quidem, ut juvenibus, vina nova ac dulcia, magis sapere, aliis, ut senibus, vetera, tanquam salubriora, magis probari, statim desinere mirari. Veterem illam esse doctrinam, liquet ex veteri.*

veteribus Patribus, qui locum illum ad Philip. 2. 9. Propter quod & Deus exaltavit illum, &c. sic interpretati sunt, ut dixerint, Christum sua humilitate, obedientia & morte, sibi illam exaltationem promeruisse. Quod probat ex Augustino in Joh. 17. tract. 104. Beda in cap. 2. ad Phil. Ambrosio & Hieronymo in eundem apostoli locum, Vigilio contra Eutychen, & tandem sic concludit: *Haec certe vetus est Ecclesiae doctrina. Rogo igitur convivae meos, ut si, vino & veteri & novo in mensa proposito, ego tanquam senex, relicto aliis novo, de veteri bibam, ne mihi succenseant.* Vide ejusdem epistolam ad Wilhelmum Stuckium Epist. lib. 1. in qua idem tuetur dogma, & ad contraria objectionem respondet. Idem Stuckius ibidem in Zanchii responsione se acquiescere ingenue confitetur. Legatur idem Zanchius in cap. 2. ad Philip. ut & Andr. Hyperius in eundem locum. Similiter Joan. Piscator scribit in 2. ad Philip. Andr. Rivetus in cap. 53. Isaiae. v. 11. *Quaeritur hic, inquit, num Christus passione sua gloriam corporis ad exaltationem illam, ad quam erectus est, meruerit?* Id contendunt multi non solum ex Pontificiis, sed ex orthodoxis inprimis cl. theologus, H. Zanchius in sua Confessione. Et paulo post, pag. 469. *Et si existimemus, argumenta Calvinii esse alicujus momenti, nec in ea re valde insistendum, num ratione gloriae corporis & exaltationis Christi, obedientia ejus, habeat veram & propriam rationem meriti, id tamen nollemus praefracte negare; tum quia loci sacrae*

scripturae adducti, etsi ad rationem antecedentium & consequentium referri possint, videntur tamen aliquam causam inferre: tum quia communis fuit veterum sententia, in qua nihil videtur esse quod scripturae sacrae repugnet. Pag. 367) Certe Augustinus diserte scribit tr. 104. in Job. Christum fuisse prius humiliatum in passione, quam in resurrectione glorificatum. Humilitatem claritatis esse meritum, claritatem humilitatis praemium. In hac sententia nihil mali esse existimamus, si recte intelligatur. Haec ille. Idem licet in Psal. 110. vers. 7. pag. 483. 484. super hac re differens, mirifice fluctuet, negat tamen, se velle huic opinioni nigrum praefigere theta. Adi autorem ipsum.

Vorstius in Antibellarmino, pag. 55. 56. Et si de hac quaestione non prorsus eadem est omnium Evangelicorum sententia, plerique tamen doctiores in eam partem inclinant, ut cum Pontificiis hac de re non magnopere contendendum esse putent; praesertim si verbum merendi generatim pro verbo comparandi, vel per industriam & labores acquirendi sive obtinendi atque adipiscendi accipiat. Quo quidem sensu veteres saepissime id usurpasse constat. Itaque consensus utrinque facile constitui poterit, si modo logomachia & studium cavillandi abfuerit. Omnes enim ultro fatentur, Christum hominem, licet ex certa & gratiosa Dei ordinatione coelestem gloriam necessario adeptus sit, revera tamen non nisi per viam obedientiae, & passionis ad eam pervenire potuisse: immo sua obedientia & humili-

humiliatione, utpote omnium dignissima & perfectissima, tanquam causa antecedente sive efficiente, praedictam gloriam vere sibi peperisse atque obtinuisse. Hanc eandem sententiam acriter idem defendit contra Sibrandum, errore 68. & in Scholiis alexicacis pag. 166. 95. & 114. Petrus Martyr in cap. 14. ad Roman. vers. 9. Thomas Bilsonus, episc. winton. in Recognit. passionum Christi pag. 672. circa finem, & pag. 20. 21. Lancel. Andreas in concione anglica super Rom. 6. 9. 10. 11. pag. 389. & super Philip. 2. 8. 9. pag. 469. & 474. R. Hookerus lib. 5. de Eccles. polit. sect. 55. pag. 303. Alios silentio praetereo, praesertim cum res adeo manifesta sit.

Vnde Junius in Animadversionibus suis hoc saltem fateri cogitur, *sive hoc dogma probemus, sive improbemus, non propterea laboraturam Christianorum fidem.* Et Chamierus de Officio mediatoris lib. 7. cap. 8. n. 6. *Non esse de hoc articulo* (Pag. 368.) *sic contendendum, ut de summa religionis christianae, sive de fundamentalis quopiam articulo fidei, in quo definiendo non queat non gravissime errari, si erratur.* Sed quis, quaeso, pro fundamentalis articulo fidei christianae hoc habet? Dogma tantum scripturis & Patrum judicio maxime consentaneum esse existimant omnes, qui id tuentur, & non nisi temere, & sine errore aliquo id ab aliis negari aut in dubium vocari. Certe sic plus quam par est, controversiae augentur, & triste schisma hodiernum, quod nullis lacrymis satis deplorari potest, fovetur, & alitur. Piarum.

mea-

mentium est, litibus, quantum per veritatem licet, minuendis, non vero augendis, quod hodie, pro dolor, quam multi nimis cupide facit, studere.

Quod objectant diversum sentientes, gloriam corporis Christi, & exaltationem nominis non ex merito aliquo profluxisse, sed ex unione hypostatica, propter dignitatem personae, manifeste adversatur verbis apostoli supra citatis, qui propterea dicitur *i. e.* propter humilitatem, obedientiam & passionem Deum exaltasse Christum, & dedisse illi nomen, quod est supra omne nomen, discrete affirmat. Praeterea duo haec non repugnant sibi absolute, ut recte monent Romanenses, aliquid esse debitum ex unione hypostatica, & cadere sub merito, praesertim si posteriore demum tempore acquiratur, (quemadmodum gloriam corporis, & alia nonnulla, in ipso unionis hypostaticae puncto Christus non accepit, sed longo post tempore) quia bene fieri potest, ut idem pluribus nominibus sit debitum. Zanchi, in epist. ante allegata ad Stuckium: *At jure, inquis, illi debebatur. Quo jure? Unionis humanae naturae cum divina καὶ ὑποστάσει.* Sed hoc non tollit, quin etiam propter obedientiam, &c. Non est absurdum, propter diversas causas aliquid alicui deberi.

Non fuerunt igitur Patres aut impii, aut imperiti scripturarum, quando dixerunt, Christum sua obedientia gloriam sibi apud Patrem promeruisse, & humilitatem fuisse glorificationis meritum,
glori-